



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XIV. De Clericis pugnantibus in duello.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

IO.
Expli-
catur
can. 64.
Synodi
Car-
thag.

Sed supra traditis, primò obstat textus in can. 64. Concilii Carthag. in illis verbis: *Ne in Dominico, & reliquis Sanctorum festis spectacula nullo modo peragantur, illud quoque præterea petendum est, ut theatralium judiciorum spectacula in Dominico, & reliquis festis diebus à fide Christianorum arceantur: maxime quia in sancti Pasche octava turba magis in hippodromia, quam in Ecclesiis conveniant, debent presmirti ipsorum dies transferri, quando evenerint, nec debet ullus Christianus cogi ad hæc spectanda.* Ubi tantùm prohibentur spectacula edi diebus Dominicis, & Paschabilibus: ergo quia absolute spectacula, quorum appellatione veniunt torneamenta, non censentur prohibita. Pro cuius canonis expositione dicendum est, discrimen esse constituendum inter ludos vitiosos, ac inter permittos. Vetiti omni tempore, & inter omnes personas prohibiti censentur, ut torneamenta, de quibus in præsentia. Alii vero ludi liciti sunt, etsi non omnibus, nec omni tempore, laicis enim plerumque permittuntur, qui clericis prohibentur, can. 24. Synodi 6. Trul. ibi: *Ne cui liceat eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel monachorum, in equorum curricula subsistere, vel scenicos ludos sustinere, sed & si quis clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat, & discedat.* Sic ergo hæc prodromia, curricula, & venationes, & similia, licet laicis permittantur, tamen diebus Dominicis, aut tempore paschali edi non debent, ex rationibus quas con-

gesserunt Balsamon in dicto Can. 64. Brissonius in 1. die Dominico, C. de spectac.

Secundò obstat textus in cap. quicumque 4. II. 23. quest. 4. ibi: *Quicumque clericus, aut in bello, aut in rixa, aut in Gentilium ludis mortuus fuerit, nec in oblatione, nec in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat iudicis, sepultura tamen non privetur.* In quibus conceditur sepultura decedentibus in torneamentis. Igitur non rectè in præsentia asseritur illis, qui in torneamentis decedunt, concessã penitentia denegari sepulturam. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu agi de clericis tantùm, quibus ludi cum pace minus coherentes, & veluti belli præludia prohibentur, ut probat Abul. in cap. 6. Mathias, quest. 52. qui inter ludos refert saltationem, & torneamenta. Et quoad hæc hastiludia Concil. Salisburg. sub Martino IV. anathemate damnavit clericos, aut ecclesiastica dignitate fulgentes, qui vel armis adhibitis, vel absque eis vacaverint tali exercitio. Tamen si enim remotis armis nullum immineat profliganda vitæ periculum, tamen vel ipsa species bellicæ exercitationis à pace abhorrens dedecet clericos. Præsertim quia à torneamentis absque armis facile progredi poterat ad torneamenta cum armis, ubi frequenter homicidia eveniebant, ut videre est apud Cantipratanum lib. 2. apud. cap. 49. num. 3. apud Cæsareum lib. 12. miracul. cap. 16. & 17. In præsentia vero agitur de laicis in torneamentis decedentibus, quibus diversa pœna imponitur, quia sunt professione diversi.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

CAPUT PRIMUM.

^a Alexand. III.

PORRO si clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel si oblatum susceperit, & subierit, sive victor, sive victus fuerit, de rigore juris est deponendus. Sed quantumcunque ejus in hac parte gravis sit, & enormis excessus, evadere potest depositionis sententiam, si cum ipso suus Episcopus duxerit misericorditer dispensandum, dummodo ex ipso duello homicidium, vel ^b membrorum diminutio non sit subsequuta.

NOTÆ.

I. ^a **A**lexander III. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo cap. 1. & post Concilium Lateran. part. 26. cap. 4. & 5. legitur Salernitano Archiepisc. & in dict. prima collectione additur pars capituli. Licet præter.

Undè cognoscitur in præsentia referri partem textus in cap. licet, de sponsa duor. cap. 1. de corpore vitiatas, ubi jam notavi.

^b *Membrorum diminutio.* Unde dispensat Episcopus in specie textus in cap. 1. de corpore vitiatas, quia amissio partis digiti proprie non est membri diminutio, ut notavit Vasconcellos in harmonia rubric. ad tit. de corpore vitiatas.

CAPUT II.

a Cœlestinus III.

Henricus presbyter lator presentium ad nos cum litteris tuis humiliter accedens intimavit, quod cum laicum quendam super^b furto in seculari^c placito convenisset, ipsi, quia testes sui defecerunt, pugilem^d secundum pravam terræ consuetudinem indixit, qui reum usque adeo ictibus gladii vulneravit, quod coactus est nocte proxima exspirare. Quia ergo super hoc nos consulere voluisti, ambiguitatem tuam responsione huiusmodi removemus, quod tales pugiles homicidæ veri existunt, nec prædictus sacerdos, licet non ipse, sed aliquis pro eo in duello pugnaverit, debet in sacris ordinibus ministrare: sicut enim tradunt sacrorum canonum^e instituta, homicidium tam factum, quam præcepto, f sive consilio, aut defensione non est dubium perpetrari: poteris tamen cum eo circa habendum beneficium misericorditer s dispensare.

NOTÆ.

1. a **Cœlestinus III.** Ita legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 1. & in hac sexta collectione legitur **Clemens III.** nullibi tamen exprimitur cui referatur Pontifex, seu in qua provincia Præfatus casus contigit.
2. b **Super furto.** Civiliter agendo, non criminaliter ad vindictam, aliâ ex ipsa accusatione sequentâ morte naturali Henricus irregularis maneret, juxta tradita supra in cap. significasti 18. de homicid.
- c **Seculari placito.** De placito, ejus acceptationibus egi in cap. 1. de feris.
3. d **Pugilem.** Qui apud Longobardos dicitur **Campio**: plerumque enim clerici duellum subibant olim per se, aut per alium, ut infra dicemus.
- e **Instituta.** In cap. 1. hoc titulo, & aliis supra pro illustratione conclusionis adducendis.
- f **Præcepto, consilio.** Juxta tradita supra in cap. 11. de homicid.
4. g **Dispensare.** Nam cum privatus esset officio, non poterat stricto juris rigore retinere beneficium, cap. ex litteris, de excessibus Prælât. sed ex dispensatione illud retinet, ut in specie textus in c. de homicidio. Non tamen inde inferas beneficium irregularis ipso jure vacare, aut collationem beneficii factam irregulari ipso jure nullam esse; nam contrarium verius est, ut probat **Gibalinus de irregul. cap. 2. quest. 4.**

COMMENTARIUM.

5. **H**is duabus decretalibus sequens communititer deducitur assertio: Clericus inens duellum, sive obtulerit, sive susceperit, deponendus est, sed non sequens homicidium Episcopus cum eo dispensare valet. Probant eam textus in cap. Monachiam 22. 2. quest. 5. cap. sententiam, ad finem, ne clerici vel monachi, cap. 1. de corpore vitiat. cap. 1. de purgat. vulgar. Concil. Valent. Gallie, can. 12. Et quia ex huiusmodi juramentorum, immo perjuriarum contentione etiam usque ad armorum certamina solet prorumpi, & crudelissimo spectaculo effunditur cruor belli in pace, statuimus juxta antiquum ecclesiasticæ observationis morem, ne qui cumque tam iniquâ & Christianæ paci inimicâ pugna alterum occiderit, seu vulneribus de-
- la. D. Gonzal, in Decretal. Tom. V.

bilem dederit, velut homicidæ nequissimus, & latro cruentus, ab Ecclesia, & omnium fidelium cœtibus separatus, ad agendam legitimam penitentiam modis omnibus compellatur; ille vero, qui occisus fuerit, tanquam sui homicidæ, & propriæ mortis spontaneus appetitor, à Dominica oblationis commemoratione habeatur alienus, nec cadaver ejus juxta sacrorum canonum decretum, cum psalmis, vel orationibus ad sepulturam deducatur. Super quibus duobus titulis, propter tam funesta, & horrenda animarum, vel etiam corporum exitia Christianissimi Imperatoris pietas sacerdotali omnium nostrum supplicatione imploranda est, ut tantum malum a populo fidelium suis publicis sanctionibus amoveat, & nostrum super hoc tam necessarium ecclesiasticum decretum propria autoritate confirmet. Et cap. 1. hoc. tit. in 5. compil. Honorius II. Potestati, & Populo Florentino in hæc verba scribit: Rem audivimus hætenus inauditam, & tam juri scripto, quam aequitati contrariam, quod videlicet Ecclesiam sanctorum Apostolorum Florent. cogere nitimini ad duellum pro causa, quam super cametero, & rebus aliis habet cum filiis Longobardis civibus Florentinis. Cum igitur tam manifestam ejusdem Ecclesie, ac ipsius juris injuriam nec possimus, nec debeamus sub dissimulatione transire, universitatem vestram rogamus; & obsecramus in Domino, per Apostolicâ vobis scripta mandantes, quatenus à re tam insolita, tamque detestabili penitus desistentes, causam ipsam marte suo, videlicet ordine judiciario, procedere faciatis: scientes nos venerabili f. n. Pistoriensi Episcopo, & dilecto filio Archipresbytero Florent. per nostras dedisse litteras in mandatis, ut si secus presumpseritis attentare, ipsi præsumptionem vestram per censuras ecclesiasticas appellatione remota compefcant, iterum nuntiantes, si quod occasione huiusmodi factum, vel statim invenerint contra Ecclesiam memoratam. Toletanum anno 1473. temporibus Sixti IV. celebratum, can. 20. Tridentin. sess. 25. de reform. capit. 19. Cælestinus III. Jul. II. Innocentius IV. in constitutionibus relatis à Quaranta in summa Bullar. verbo Duellum. Rualdus in act. in duel. pag. 54. 55. & 56. Clemens VII. constituit. 2. Pius IV. constituit. 25. Gregorius XIII. constituit. 8. Clemens VIII. constitution. 19. ut refert Corjolan. in breviario, anno 1503. faciunt textus in lib. unic. C. de gladiat. lib. II. lib. 10.

tit. 8. libr. 8. *Recopil.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præfenti, & de *potest. Episcop. alleg. 50. numer. 120.* & ad Concil. Trident. *diç. can. 19. Salmutius ad Pancirolam lib. 2. memorab. tit. 20. Marinis lib. 1. resol. cap. 110. Pantoxa in l. final. C. de ateor. num. 87. Corvinus lib. 4. apborism. tit. 15. Juretus in notis ad epist. 168. Carnot. Roussellus libr. 6. *hiflor. Pontific. jurisd. cap. 32. Joann. Tabor. in armament. fol. 169. Lucas Floronus in tract. de prohibitione duelli. Becanus in opuscul. de bello, cap. 26. Roa de jurib. Princip. quest. 5. Gbalinus de censur. in synopsis, verbo Duellum, Petrus Gregor. 3. part. *synag. libr. 48. cap. 15. & lib. 4. partit. tit. 8. cap. 10. Gutierrez de delict. quest. 105. Azor. tom. 3. institut. libr. 2. cap. 1. Hothomanus lib. 3. observ. capit. 4. & de feud. cap. 45. Fragoso de regim. *Christ. Reip. part. 1. lib. 1. dispnt. 3. §. 10. Scortia in secl. Pontific. constit. Epit. 155. theorem. 390. Grotius de jure belli lib. 3. cap. 20. Diana part. 11. tractat. 6. resol. 26. & tract. 8. resol. 21. Chopinus de privileg. *ruffic. lib. 3. cap. 13. D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 2. sect. 2. Osvaldus lib. 17. Donel. cap. 2. littera M. Bocerus in tract. de duello, Philippus Camer tom. 2. *horar. successiv. cap. 19. 20. & 21. fusè Murga tom. 2. disquisit. moral. tractat. 1. disquisit. 11. per totam, Martinez à Prado tom. 1. Theolog. Mor. cap. 15. quest. 3. §. 3. Ayala de jure belli cap. 3. lib. 1. Theodorius Reinchingk de regim. *Eccles. lib. 2. class. 3. cap. 2. num. 41. Theoph. Raynaud. rom. 4. lib. 5. de virtut. sect. 3. cap. 3. Burgensis cent. 2. obs. 79.*******

6. Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo : Duellum ad decidendas controversias, tam civiles, quam criminales, de quibus in præfenti textu agitur, honestum sanè & religiosum videtur, siquidem in eo pugnantem Deum Optimum Maximum veluti veritatis, & æqui judicem sibi constituunt, & in causa, quæ per testes, seu alias probationes non liquet, sinceritatem, certiorumque judicem eligere nequeunt, & ita ipsum, qui duello vincit, Deo auctore vicisse nemo profus est qui non fateatur : & quemadmodum Imperatores Dioclet, & Maxim. statuerunt judicem, si inopiâ probationum laborat, jurjurando causâ cognitâ decidere debere, quia jurjurandi contemptâ religionis Deus ultor est, *libr. 2. & 3. C. de rebus creditis*; ita & Deum ultorem, & judicem duello statuere, si res alter non potest per homines, deficientibus probationibus judicari, sanum & religiosum videtur. Accedit usus diversarum gentium, apud quas dubiæ controversiæ duello decidebantur. Germani in causis ambiguis, maximè criminibus, quæ nullo humano testimonio comprobati poterant, ad summam Dei Majestatem, quæ falli non potest, tanquam ad judicem omnium rectissimum confugiebant : Senatus, Populus, atque Sacerdotes, qui singulare certamen, ac aliam hujusmodi probationem spectabant, in interim, ut est in lege Salica, divinam opem implorabant, beneficia memoriter commemorabant, quæ in simili negotio Deus ipsis contulisset, comprecabantur ut ipse in re præfenti innocenti adesset, victoriamque cælitus concederet : verba sunt Joannis Aventini *libr. 4. annal. Bojor. Longobardi* etiam in Italia ambiguum jus de possessionibus, & objecta crimina graviora, quæ vel saluti, vel famæ obessent, sic decidebant, causam hujus mortis adducentes legum defectum, quibus ambigui casus

resolverentur, & tritum illud proponentes : *Si non sufficere jura, veniamus ad arma. Et lib. 11. tit. 54. legum ipsorum*, cavetur ut in criminalibus causis acculator & defensor in campo cum fustibus pariter contendant, nec eorum jurjurando res committatur. Lege etiam Imperatoris Orthonis IV. in Romaniola de Principum Itolorum sententia promulgata, sciente, & non contradicente Joanne Papa III. ut constat *ex l. antiquis, ejusdem tituli 54.* statuitur, ne demceps tota Italia, etiam iis in locis, in quibus jure Romano, id est Justinianis legibus utebantur, controversias jurjurando disceptent propter perjuriorum multitudinem; sed duello, & certamine illas ditimant. Quod Imperator observari jussit in *lib. ult. ejusdem tituli*, non solum in privatorum laicorum causis, verum etiam in Ecclesiarum libris, Et Federicus Imperator in *titul. de pace tenenda in usibus feud. §. si quis hominem*, duellum inter legitimos modos probationum refert. Et Fronto III. Rex Danorum legem tulit, ut omnes controversiæ, qualescumque essent, duello definirentur, ut refert Saxo *libr. 5. spectiosus viribus*, quam verbis confingendum existimans : quod adhuc in Moscovia usitatum esse testatur Joannes Bodonus *libr. 4. de Republica, cap. finalis*; & de aliis gentibus idem refert Bronch. *cent. 2. assert. 76.* Hinc leges latae apud varias nationes, in quibus forma, & conditiones observandæ in ipsis duellis præscribuntur. Apud Hispanos in *l. 1. tit. 21. lib. 4. fori, l. 1. & 2. tit. 3. l. 4. tit. 4. partit. 7. l. 8. tit. 14. ead. partit.* Apud Longobard. *l. 39. tit. 9. l. 1. ibi : Duello liberi, serventi aquâ servi innocentiam suam probant.* Apud Neapolit. *lib. 2. tit. 32. & 33.* Apud Francos in *appendice legis Salicæ & lib. 4. c. 33.* Apud Anglos *tit. 14. apud Frifones tit. etiam 14.* quas & alias congestit Lindemborg. *verbo Duellum, Pugna, & Monomachia.* Omnitro innumera exempla duellorum diversarum gentium, quæ referunt Rualdus *ibi supra, pag. 102. D. Joannes de Larrea alleg. 17.* Igitur quia duella omni juri, & moribus gentium consona sunt, & per consequens ut injusta prohiberi non debent.

Sed hac dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, pro cujus expositione scire oportet, duellum latè sumptum omne bellum significare, ut apud Horatium *lib. 2. epist. 1. qui sit. Graciam dedit : Barbarè lento collisam duello.* Ciceronem de *Oratore*, ibi : *Antiqui nomina contraherant, quo essent aptiora, ut duellum, bellum.* Livium *lib. 6. belli Macedon.* ibi : *Populus Romanus cum eo tempore duellum iniisset cum Rege Antiocho.* Varronem *lib. 6. de ling. Latina*, ibi : *Perduellum, duellum, id postea bellum.* Ex eoque perduelles dicti, quos hostes vocamus, *l. quos 234. ff. de V. S.* Illustrat Petrus Gregor. *lib. 48. synag. cap. 16. num. 2.* Duellum ergo non quasi duorum bellum, sed quasi duarum partium bellum dicitur; nam si duo tantum manus conferant, dicitur singulare certamen, ut probant Cujat. in *cap. unic. tit. de pace tenenda in usibus feudorum*, Menchaca *lib. 1. illustr. cap. 11. num. 36. & cap. 48. numer. 16.* Alciatus in *tractatu de singulari certamine.* Varias duelli definitiones adduxerunt Joann. Lignanus, Antonius Mafà, Ferrerus, Alciatus, Wicherus, Bocerus, & alii communiter scribentes de duello. Communiter autem ita definitur, seu describitur : *Duellum est singulare certamen, quod homines quidam*

dam legum contemptores, specie ac nomine conservandi recuperandive honoris, & ignominia propulsande; re autem vera pecuniarum, aut falsæ gloriæ, seu affectu vindictæ, vel emulationis causâ, missis ultrô citroque libellis, ad locum, & diem certum convenientes armis à provocato electis committunt. Quam definitionem probat D. Joannes de Larrea d. alleg. 117. num. 4. et si Medices de definitionibus 2. p. diffinit. 13. duellum definiat ut sit, pugna corporalis deliberata hinc inde duorum, pluriumve, ad eruendam veritatem, purgationem gloriæ, & odii exaggerationem.

8.
Duellum
divisum.

Deinde sciendum est, duellum duplex esse, extrajudiciale videlicet, & judiciale. Extrajudiciale dicitur, quod partes citra judicis auctoritatem capessunt, idque committitur vel publicæ utilitatis, aut virtutis honestæ gloriæ causâ, vel ostentationis, aut defensionis gratiâ, de quo fusè agit Bocerius de duello cap. 3. cum sequent. & de duello utilitatis publicæ causâ commisso, cum propter patriæ publicam salutem decertatur ad bellum vitandum, doctè agit D. Joannes de Larrea dict. alleg. 117. Theophilus d. l. 4. fol. 699. Et de duello ob defensionem honoris videndum est Avendanno de metu lib. 2. cap. 47. per tot. Judiciale, de quo in præfenti textu agitur, est quod auctoritate judicis in causis controversis, deficientibus plenis probationibus litigatores ad indagandam veritatem ineunt, ut qui cedat vel succumbat, ejus causâ inferior sit. Usu enim receptum fuit in aliquibus provinciis, ut si accusator, vel actor intentionem suam contra reum plenè in judicio non probasset, unus alium provocare ad duellum posset, ut qui vicerit in eo duello, eâ ipsâ victoriâ suam intentionem, vel defensionem probaretur. Hujus duelli mentio fit in cap. unic. vers. Si autem omnibus, de pace tenenda, & lib. 2. feudor. tit. 27. vers. qui hominem, & s. frusticus. Apud Danos ferè omnes lites, & contentiones duello committebantur, Krantzius lib. 2. Dania: quem morem sublatum ab Haraldo Rege restituit, & revocavit Canutus eorum princeps, ut idem scribit lib. 5. Ab his populis ad Saxones usus transit, tum deinde à Saxonibus ad Francos, & Gallos, atque Longobardos, ut supra ex eorum legibus probavi. Siquidem Longobardi ex Scania, sive Scandia Daniæ regione in Italiam, & alias deinde provincias exundarunt; sed inter omnes nulli hæc duellis sese magis implicarunt, quàm Galli, & Hispani, ut ex eorum legibus suprâ relatis patet, in quibus forma, & conditiones servandæ in his duellis præscribuntur. Nec tantum moris fuit laicis omnes controversias dubias duello definire, ut constat ex cap. 1. de purgat. vulgari, & ex præfenti c. 2. ex S. Agobardo in opusculo tum de hoc argumento, tum in epistola ad Ludovicum Imperatorem: ex Anonymo de miraculis sancti Benedicti c. 11. ex Gofrido Vindocinensi in epist. ad Petrum Sanctonensem Episcopum, ibi: *Audivimus dilectissime Pater, Raynaldum Chesnellum clericum vestrum, cum Domino Guillelmo monacho nostro duellum cepisse; nullum tamen ex sua parte testem, vel ex parte monachi habuisse: quod quia sæculi leges nullaratione fieri permittunt, & sacri canones omnino ne fiat, interdiciunt, humiliter vos rogamus, ut quod in Episcopatu vestro ab ecclesiasticis viris contra ecclesiasticas regulas præsumptum dignoscitur, vestrâ auctoritate irritum fiat, & corrigatur, ne forte perversa consuetudine prævaleat hominum iniquitas canonice æquitati, & sic, quod abis, subda-*

tur veritas falsitati. Si verò Raynaldus vester claves sanctæ Ecclesie agitare, & Romanorum decreta Pontificum, que inter ecclesiasticos viros monachiam penitus inibent, annullare conatur, contra ejus inflatos conatus humilitatem Romana Ecclesia, que inflata crepare, & superba præmere novit, appellamus. Ex veteri historia Canonici Laudunensis de quodam Anselmo religioso, cui thesaurus Ecclesie servandus tradebatur, relata à Jureto in notis ad epist. 168. Carnot. in illis verbis: *Non exiguam partem furtim discerpens, aurifici cuidam vendendi causâ tradidit, prius ab eo acceptâ fidei sponsione, quod nulli se hujus rei fuisse auctorem propalaret: sed cum idem artifex aurum illud, sive lapides Suesione venderet, nutu Dei Canonici Laudunenses supervenientes auri sculpturas recognoverunt. & statim queremoniâ factâ præfatum aurificem à judice comprehendi fecerunt. Ille comprehensus, atq; perterritus, ab Anselmo sibi ea tradita fuisse confessus est. Unde Laudunum redûctus, & contra Anselmum hac negantem duelli certamine congressus, protinus superatus, & victus est, forsitan, ut multi putarunt, pro fidei violata reatu, quia promiserat eidem Anselmo, quod eum non detegeret. Pro hac ergo victoria Anselmus nimis elatus, quia sibi conscius erat & se furtum fecisse, & tamen adversarium superasse, multamque laudem ab hominibus, qui se innocentem esse clamabant, acquisivisse, ad majora securus perpetranda provocatur. Et cum duellorum concessio apex esset supremæ potestatis, quæ tale jus tantum Dominis intra ditionum suarum terminos concedebat, ut notavit Cophinus lib. 1. de jure Andium, clerici qui exempti sunt à jurisdictione seculari, non poterant huic legi satisfacere; ad eam tamen invidi vocabantur, ut refert Matthæus Paris. in Henrico III. ibi: *Clerici collectis, & talliis assiguntur; non solum trahuntur ad judicium seculare, sed ut afferitur, coguntur id judicium subire.* Exempla hujus duelli refert Delrius lib. 4. disquisit. mag. cap. 4. sect. 2.*

Deinceps sciendum est, duellum hoc omni juri contrarium esse, divino scilicet, gentium, & civili, ut probarunt Ayala de jure belli lib. 1. cap. 3. Bronchorst. cent. 2. miscel. assert. 76. Beyerlinch verbo Duellum, tom. 2. aliis relatis Bocerius adversus de duello cap. 2. per totum. D. Joannes de Larrea d. alleg. 117. ex num. 35. Juri divino opponitur, primò, quia ille actus juri divino contrarius est, per quem Deus tentatur, contra præceptum illud relatum cap. 4. Matthæi: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Sed per tale duellum Deus tentatur, cap. monomachia 2. q. 4. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. Nec obstat factum Davidis relatum 1. Samuel. cap. 17. nam S. Rex duellum cum Goliath inivit ex inspiratione divina, & instinctu prophætico, & ita hoc singulare factum Davidis in exemplum trahendum non est; siquidem per illud intenditur, ut Deus eâ pugnâ manifestum reddat per victoriam, utra pars foveat justam causam, cap. 1. & final. de purgat. vulgari. Secundo, quia cum aliquid prohibetur, quodam jure videtur etiam prohibitum omne id, per quod pervenitur ad illud, l. oratio 16 ff. de sponsal. cap. cum quid una, de R. 1. lib. 6. sed jure divino prohibetur homicidium, cap. 5. Deuteron. Igitur, & duellum, per quod pervenitur ad illud. Juri etiam gentium hoc duelli genus contrarium esse, ita probari potest. Ille actus inibitus est jure gentium, qui repugnat æquitati naturali, quæ jus gentium nititur. Sed hoc duellum repugnat naturali æquitati;

9.
Duellum
omni
juri
linch
de duello
cap. 2.
per totum.
D. Joannes
de Larrea
d. alleg.
117. ex
num. 35.
Juri divino
opponitur,
primò,
quia ille
actus juri
divino
contrarius
est, per
quem Deus
tentatur,
contra
præceptum
illud
relatum
cap. 4.
Matthæi:
Non tentabis
Dominum
Deum tuum.
Sed per
tale
duellum
Deus
tentatur,
cap. 1.
& final.
de purgat.
vulgar.
Secundo,
quia cum
aliquid
prohibetur,
quodam
jure
videtur
etiam
prohibitum
omne id,
per quod
pervenitur
ad illud,
l. oratio
16 ff. de
sponsal.
cap. cum
quid una,
de R. 1.
lib. 6.
sed jure
divino
prohibetur
homicidium,
cap. 5.
Deuteron.
Igitur,
& duellum,
per quod
pervenitur
ad illud.
Juri etiam
gentium
hoc duelli
genus
contrarium
esse, ita
probari
potest.
Ille actus
inibitus
est jure
gentium,
qui
repugnat
æquitati
naturali,
quæ jus
gentium
nititur.
Sed hoc
duellum
repugnat
naturali
æquitati;

nam æquitas naturalis suadet, ut facinorosi puniantur, & innocentes absolvantur; quod in duello non contingit, cum in duello succumbat sæpè justus, & innocens; vincat autem injustus, & qui malam causam fovet: ergo duellum contrarium est iuramentum. Etiam iuri civili duellum adversari constat, siquidem in criminalibus jus civile requirit probationes luce meridiana clariore, *l. ult. C. de probat.* sed tales probationes in duello non adsunt: ergo jus civile duellum ad probandum delictum non admittit. Deinde quia eo jure attentio reus absolvitur auctore non probante, *l. qui accusare 4. C. de eden. d.* Unde absurdum est, ut reus quando probationes deficiunt auctori, ejus arbitrio armis decertare compellatur. Accedit quia Magistratus subditos suos ad arma proferre pati non debet, *l. si cuius 13. §. sed si inter duos, ff. de usufructu, l. quidam 21. ff. de rebus credit.* Igitur deficientibus probationibus, aut jurejurando, iudex causam decidere debet, *l. admonendi, ff. de jurejur. l. generaliter 12. C. de rebus credit.* aut reum absolvere, *l. negantes C. de O. & A.* Facit textus in *l. unic. C. de gladiat. lib. 11.* ubi Constantinus ita statuit: *Crumenta spectacula in otio civili, & domestica quiete non placent; quapropter omnino gladiatores esse prohibemus.* Et licet Imperator ibi agat de his, qui vel in ludo gladiatorum gladiabantur, de quibus in *l. ejus qui, §. final. ff. qui testamenta, l. si quis mihi, §. si quis plane, ff. de acquir. heredit. l. si quis sivo, §. sed si quis, ff. de injusto rupto;* vel qui operas suas locabant, ut cum bellis pugnarent, *l. 1. §. sed si quis operas, ff. de postulando;* tamen ejus dispositio sua generalitate recte quoque de hujusmodi duello accipi potest, ut post Bartolum, Jasonem, & alios probat Bocerus de duello cap. 2.

IO.
Traditur ratio decidendi

His præmissis apparet vera ratio presentis prohibitionis, quare videlicet clericis inhibeat duellum inire illud offerendo, vel acceptando. Nam cum omnis effusio humani sanguinis illis prohibetur, ut probavi supra in cap. penult. de homicid. & in duello plerumque homicidium, vel saltem sanguinis effusio contingat, ut ait Carnotensis episcopus 241. ibi: *Monomachia vix, aut nunquam sine sanguinis effusione transigi solet;* merito clericis prohibetur. Si ergo dimicatio in bello aggressivo, quantumvis iusto, clericis prohibetur, ut probavi in cap. penult. de homicid. quanto magis pugna in duello illis interdici valet. Juste ergo Alexand. III. in presentibus statuit clericum sponte duellum offerentem, vel acceptantem deponendum esse; non tamen hanc dispositionem incurrit ipso jure, ut voluerunt Sylvester, Armilla, Angelus, & Tabiena relati à Gibalino in Synopsi censur. verbo Duellum. Nam dumtaxat sententiâ deponendi sunt, ut probant Suarez de censur. disput. 31. sect. 4. num. 4. Sanchez lib. 2. summa, cap. 39. numer. 18. Gibalinus ubi supra. Omnes etiam alii duellum ineuntes variis pœnis, tam temporalibus, quam spiritualibus ex novis constitutionibus plectuntur. Pœnis spiritualibus primò excommunicantur, absolutione Pontifici reservata, ex constitutione Clementis VIII. Tridenti sess. 25. cap. 19. Secundò privantur ecclesiasticâ sepulturâ, ut probat Diana p. 11. tract. 6. resol. 26. latè Murgatôm. 2. disquisit. mor. tract. 2. disquisit. 11. etiam si signa pœnitentiæ dederit. Marini lib. 1. resol. cap. 110. Tertio si clerici sunt, privantur beneficiis obtentis, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda. Pœnæ

temporales sunt, primò privatio dominiorum, quam patiuntur Principes subiecti Romanæ Ecclesiæ. Secunda infamia perpetua. Tertia pœnâ læsæ Majestatis. Ex quibus omnibus tantum pœnâ excommunicationis est læsæ sententiæ; ceteræ verò sententiæ ferendæ. Personæ autem, quæ his pœnis afficiuntur, sunt primò pugnantes, eorumque patrini, qui excommunicantur, & privantur ecclesiasticâ sepulturâ, si in duello deciserint, & perpetuò infames existunt. Secundò excommunicantur Principes, qui locum ad monomachiam inter Christianos concesserint, qui etiam privantur dominio loci. Tertio excommunicantur qui consilium dederint, aut quacunq; ratione favorint duello. Tandem simili censurâ feriuntur provocantes, diffidantes, comitantes, & spectantes duellum, quas, & alias pœnas referunt & exponunt Sanchez lib. 2. summa, cap. 39. num. 27. Bonac. de censuris disput. 2. quæ 6. punct. 2. num. 15. Castropalao tract. 6. oper. mor. disput. 5. punct. 7. num. 19. Gibalinus, & Scortia supra. Et an hodie prætextu innocentie aperiendæ possit duellum offerri, vel acceptari honoris tuendi causâ, examinat latè P. Mendus in stat. dissert. 1. quæst. 21.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam duellum potius injustum est ex ea causa, quia continet quandam speciem falsitatis, & mendacii, propter imparitatem, & defectum causæ, & effectus; & pluries evenit victum fuisse, & mortuum in palestra illum, qui iuste pugnabat, victorem verò evadere eum, qui mendacium sustinebat; quia ut inquit Livius lib. 30. cap. 30. *Mars belli communitis, nec usquam minus quam in prelio, evens respondet.* Permittit enim Deus plerumque in istis duellis innocentes ab eo, à quo accusantur, crimini succumbere, & necari propter alia eorum peccata. Unde Rhotariûs Rex lib. 1. legum Longobard. tit. de monomachia, inquit: *Quia incerti sumus de iudicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine iusta causa suam causam perdere. Sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum legem impiam veterare non possumus. Et l. 8. tit. 3. p. 7. ibi: Que en tales casos se pierde la verdad, y vence la mentira. Facit illud Thucydides lib. 4. pag. 293. *Quod si quis, sive iure suo, sive viribus mixtus, certo aliquid confecturum sibi pollicetur, ne is, si sua spe frustretur, ægrè ferat, eam videat complures jam antea, & qui injurias aliorum ulcisci voluerunt, & qui viribus suis ac potentia aliquid acquirere posse sperarunt, illos non modo vindictâ repetendâ potestatem non habuisse, sed ne ipsos quidem incolumes evasisse.* Nos verò ut aliena acquirerint tantum absuisse ut sua quoque amiserint, non enim idcirco ultio semper est felix, quia injuriis expressa, nec robor, & potentia, quoniam cum bonâ spe conjuncta, firma existunt: ut plurimum autem fors, & fortuna in rebus dominantur. Variis exemplis probant Ferretus de duello, Lancellotus Conradus eod. tract. p. 1. conclus. 5. Joannes Baptista Fufius in tract. de injuria belli, Hieronymus Urrea in libello Hispano de duello. Bernegerus ad tacitum quæst. 51. D. Joannes de Larrea allegat. 117. num. 38. Unde duellum injuriosum vocat remedium Horthomanus de fendis cap. 45. & elegantissimè invehitur in duella Carolus Scribanus in polit. Christ. 1. p. cap. 41. Quare nec deficientibus probationibus his ambigua per duellum decidenda est. Nec obstat augmentum deductum ex variis legibus diversarum nationum, apud quas duella*

II.
Disputatio
vires
dubitan-
tandi
ratio.

duella permittebant; nam quamvis inter eas duellum susceptum fuisse reperitur, tamen id nunquam iure factum fuit: quare in Hispania Reges nostri Catholici Ferdinandus, & Elizabeth anno 1480 omnino duella prohibuerunt, adjunctis poenis pugnantis, & mediatoribus pugnae, & Patris, ut incurrant notam proditorum, & bonorum amissione plebantur sisco applicandorum; & pugnantes poenis corporalibus afficiuntur, ut si provocans ad pugnam adversarium occiderit, seu vulneraverit, capitali supplicio puniatur, l. 10. tit. 8. lib. 8. Recopil. In Gallia etiam Regis edictis duella prohibita fuisse, probat Ruardus ad. in duella, pag. 63. usque ad 81. quibus prohibitionibus addenda sunt elegantissima Theodorici Regis verba apud Cassiodorum lib. 3. var. cap. 24. ibi: *Illud praececa vos credimus admonendos, ut non in vos, sed in hostem seivire cupiatis: res parva non vos ducat ad extrema discrimina, acquiescite iustitia, qua mundus letatur: cur ad monemachiam recurratis, qui venalem judi-*

cem non habebitis? Deponite ferrum, qui non habebitis inimicum; pessime contraparentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriose moriendum. Quid prodest homini lingua, si causam agat manus armatae: aut unde pax esse creditur, si sub civilitate pugnatur? Quare etiam inter improbos homines duella nec hodie radicitus extirpare, tam ecclesiastici, quam saeculares Principes, nec evellere quiverint, non ideo tamen ea iusta, & honesta credi debent.

Supra tradita assertioni opponi possunt textus in cap. 1. de treug. & pace, junctam Cironii interpretatione ad eundem titulum, quam retuli, & rejeci in ejus commentario: & textus in can. 17. Concilii apud Vermer. in illis verbis: *Si qua mulier se proclamaverit, quod vir suus nunquam coisset cum ea, exeant inde ad crucem; & si verum fuerit, separentur, & illa faciat quod vult.* Cujus veram interpretationem dedi in cap. 3. de frigidis & maleficiatis.

TITULUS XV

De Sagittariis.

CAPUT I.

a Innocent. III.

Artem illam mortiferam, & odibilem ballistariorum, & sagittariorum adversus Christianos, & Catholicos exerceri de cetero sub anathemate prohibemus.

NOTAE

COMMENTARIUM.

^a **Innocent. III.** In prima collectione, sub hoc tit. cap. unic. legitur Innoc. II. & recte addendumque est in Concil. Lateran. generali, can. 29. ubi ita praefens canon habetur: *artem autem illam mortiferam, Deo odibilem, ballistariorum, & sagittariorum, adversus Christianos, & Catholicos exerceri de cetero sub anathemate prohibemus.* De hoc Concilio nonnulla adduxi in cap. 1. de treuga & pace.

^b **Sagittariorum.** Sagitta dicitur jaculum, quod arcu mittitur, cap. 2. de delict. pueror. l. final. ff. de jure in rem. l. 2. C. quae res exportari. hinc sagittarius, qui sagittas intorquet. Suetonius in Vespasiano, ibi: *Syriacum praemisit exercitum, hic quadragesima millia sagittariorum.* Omnium optimi sagittarii sunt qui fugientes, & averfi jaculantur, & laedunt perinde ac adversi. Lucanus.

Orior, & missa Parthi post terga sagitta.
Plura de sagittis, & sagittariis D. Petrus de Abauza ad hunc titulum, ubi recenset nationes apud quas bella cum sagittis aguntur.

^c **Christianos, & Catholicos.** Non enim omnes Christiani sunt Catholicos; nam qui in haerem prolapsi sunt, Christiani dicuntur, non vero Catholicos, ut fuse probavi in can. 22. Concilii Iliber.

Licet in primo hominum statu arma tantum.

*Manus, ungues, dentesque subere,
Et lapides, item silvarum fragmina rami.*

Lucretius lib. 5. de rerum natura. l. armorum 41. ff. de V. S. l. 3. §. 2. ff. de vi & vi armat. §. recuperandi, in fine. Instit. de interdicit. proinde Horatius satyr. 3. canebat.

*Vnguibus, & pugnis, de hinc sustibus atque
ita porro*

Pugnabant armis, qua mox fabricaverat usus.
Tamen crescente hominum malitia, & dominandi cupiditate, cum bella crebra essent, arma saeviora inventa fuerunt, quibus nullum saevius, crudeliusque fuit genus armorum, quam sagittarum, & ballistarum: tum quia sagittae veneno essent illitae, ut referunt Aelianus lib. 9. hist. animal. cap. 15. Dioscorides lib. 6. cap. 20. Rhodiginus lib. 23. lect. on. cap. 10. Ovidius l. de Ponto, elegia 2. & lib. 4. Tristium, eleg. 8. Lucanus lib. 3. ibi:

Tinxere sagittas errantes Scythiae populi.

Sidonius in panegyrico. Quare aliquando Reges legitimis armis certare satius duxerunt, quam sagittis, aut ballistis uti. Quare Guillelmus Britto lib. 2. Philippidos, refert Philippi Augusti temporibus incognitos fuisse arcus, & ballistas:

Francigenis nostris illis ignota diebus

Res